

meum peculiare mandatum. Ego dico vobis, Deus factus homo, qui, ut ait Paulus, prior dilexit vos, cum adhuc inimici essetis: Diligite inimicos vestros. Ac si diceret: Pater meus mandavit vobis diligere proximum; Ego autem, eadem autoritate, ut ait Cardinalis Toletus in Luc. declaro, & explico, nomine proximi inimicos etiam intelligendos. Diligite inimicos vestros. Non solum dixit, ut notat Chrysostomus homil. 18. non oderitis, sed majus quid additamentum ponit, Diligite. Nec ait: nolite nocere; sed quid plus; benefacite: nec dixit: Nolite maledicere, sed majus ait, supplicare bonum pro inimicis. Unde ad inimicos benevolenti affectu tendamus, ut ait D. Thomas, corde, ore, & opere. Diligere corde, quia dilectio debet esse vera, & non simulata in vultu. Sic etiam dilectio in opere: Benefacite his, qui oderunt vos, ut eos nostris operibus adjuvemus auxiliando, ac dona nostra, & beneficia largiendo, ut explicat D. Basilus in regulis brevioribus, respons. 176. Sit etiam dilectio ore: Orate pro persecuentibus; inimicum salutando, de eo bene loquendo, ac pro ipso ad Deum deprecando. Ita ait hic Cajetan. Tria precipit Dominus erga inimicos: Diligere internum; benefacere externum; & orare intus, & extra.

Tolet.

Chrysost.

D. Thom. Eripitior diligendum.

Basil.

Cajetan.

QUESTIO III.

Quomodo distinguantur haec quatuor: Inimicus, odio habens, persequens, & calumniator?

QUATUOR hic commemorat Dominus, quae maxime explicanda sunt ad intelligentiam hujus sententiae. Primum dicit Salvator inimicum: Diligite inimicos. Secundum, odio habentem: Benefacite his qui oderunt vos. Tertium, persequentem. Quartum calumniantem. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Has voces hic enucleemus. Cur vero potius dicitur, diligere inimicos, benefacere odientibus, orare pro persequentibus, quam de contra persequentibus quaestionibus erit expendendum.

20. Quatuor hic apponit Dominus.

21.

Quantum vero attinet ad inimicum, & odio habentem, cum haec duo nomina saepe conjungantur in Scriptura, sunt multi viri docti, qui docent, non habere inter se distinctionem, sed unum esse synonymum alterius. Tamen cum haec duo nomina in Scriptura copulentur, aliquod discrimen inter ea denotatur: Si inimicus meus maledixisset tibi; sustinuissem utique; & si is, qui oderat me, magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, Psalm. 54. num. 13. Dominari sunt eorum, qui oderant eos, & tribulaverunt eos inimicorum, Psalm. 105. num. 41. Salutem ex inimicis nostris, de manu omnium, qui oderant nos, Luc. 1. num. 71.

Inimicus ergo, ut notant Toletus in cap. 6. Luc. annot. 43. & Lorinus citatis locis Psalmorum, est ille, qui interius, & exterius, ac manifeste se explicat, ut nobis contrarius, & adversarius, ac hostilia signa praebet. Sicut enim amicus ille dicitur, qui non solum interius bonum affectum tenet, sed etiam exterius illum declarat, & profert; ita est contrario inimicus.

22. Tolet. Lorin. Quid sit inimicus.

Psalm. 54.

Psalm. 105.

Luc. 1.

Odio habens, seu odians, significat illum, qui interius, ac in corde retinet in nos depravatam affectum, ac malum exoptat; amen interius hanc suam malam voluntatem, & depravatam desiderium non propalat, ac exhibet; sed interius in corde, odij venenum abscondit. Et cum hic sit simulatus inimicus, multo crudeliores sunt ejus insidiae. Unde ait D. Augustinus lib. 19. de civitate, c. 5. Inimici occulti prius nocent, quam agnoscantur. Multi autem occultant odium; vel ut magis noceant; vel quia illud declarare non audent. Sicut fecit Absalon in Ammon, per multum tempus dissimulans odium, quo ad ultimum paravit occasionem opportunam, 2. Regum. 13. n. 22. & 29. ut ibi observant Abulensis, Lyranus, & alij.

23. Quid sit odians.

August. Inimici occulti, valde nocivi.

Abulens. Lyran.

Persecutor, seu persecutio est pertinax insectatio alicujus ad aliquem proterendum, ita ut nullus detur quieti, aut securitati locus, sed omnimodo insequitur, ut innocentia vexetur, ac opprimatur. Et metaphora sumpta est, ut docet D. Gregorius Nyssenus homil. 8. de beatitudine, bus: ex currentibus, ac sequentibus in cursu, qui non quiescunt quousque alterum manu teneant. Dixit inimicus, persequar, & comprehendam, Exod. 15. n. 9. Quod explanat D. Athanasius in Apologia pro sua fuga. Ita exactus erat appetitus inimici, quod non pareretur conquiscere; quousque Israel prosterneret, & captivum teneret.

24. Quid sit persecutio.

Nyssen.

Athanas.

Calumniator gravissimè, & crudeliter nocet. Quia malum culpae, & omnia opprobria, & convitia imponit, & consilium in hominem: quae maxime torquent. Jeremias lapidatus est à Judaeis; & tamen non conqueritur de lapidibus, sed de convitiis, ac contumeliis, quibus eum exprobrauerunt. Dixerunt: Venite, percussimus eum lingua, Jerem. 18. n. 18. Unde ait D. Athanasius in Apologia ad Constantinum Imperatorem: Contumeliam gravius ferire, quam lapides. Maximam anxietatem, dolorem, ac molestiam afferunt contumeliae. Ecclesiast. 6. num. 8. Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius, de quo multa alibi dicenda.

25. Quid sit calumnia.

26. Perfecta patientia est cum dilectione inimicorum.

26. Perfecta patientia est cum dilectione inimicorum.

QUESTIO IV.

Quare hic Dominus sermonem instituat de dilectione inimicorum?

CUR Dominus potius in hoc loco, in hacque sui sermonis parte agit de dilectione inimicorum, quam in alia occasione? Respondeo primum. Supra immediate antea egit Dominus de patientia in injuriis tolerandis, & cum nemine esse contendendum, nulli resistendum, sed percutienti in una maxilla alteram praebendam, & volenti tollere tunicam, dandum pallium. Et statim subjungit hunc textum, inimicos esse diligendos; denotans, ac significans, quod ipsum pacis studium, injuriarum sufferentia, ac in proximis mansuetudo habeant ad sui meritum, & valorem, sibi adjunctam, & associatam inimicorum dilectionem. Nam corona ipsius patientiae est dilectio inimicorum. Quid prodest tolerare injurias, & alapas, si animum repletum ira, & odio habeas. D. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 21. postquam egit de his, quae Dominus superius dixerat in hoc cap. 5. de aliis virtutibus

August. virtuti

virtutibus, ac patientia, subjungit: Sine ista dilectione, qua etiam inimicos, & persecutores nostros diligere jubemur, & quae superius dicta sunt, implere quis potest? ac si dicat: Nullus.

27. Dilectio inimicorum fortis armatura ad debellandos hostes.

Athanas.

Secundo. In hoc cap. 5. creavit Dominus suos discipulos, lucas, lucernas, ac praedicatores, & doctores totius mundi; ad abundantem justitiam ac patientiam eos est exhortatus: & nunc sermonem apponit de dilectione inimicorum, tanquam his armis eos induens, & communiens adversus persecutionum tempestates, ac diaboli insidias: hac enim omnia facillimè superantur charitate, ac beneficentia in hostes. Divus Athanasius homil. in Evangelio de Passione; postquam expendit, quomodo Apostolus nos jubet induere armaturam Dei, ad Ephes. 6. n. 11. ait: Dominus persecutoribus benedicendum docuit; sic enim facilius de Diabolo, omnique malitia, victoria obtinetur, quam si non ipsi vindicemus. Ad diligendos inimicos, ac eis benedicendum Dominus suos exhortatur, ut inter tyrannos, ac diaboli machinationes haberent faciliem victoriam: nam dilectione inimicorum armati, facilliter omnia incommoda superamus, quam si nos ipsi vindicemus, ut infra in alia quaestione expendam.

28. Chrysost.

Dilectio inimicorum corona, veritatis virtutum.

Theophyl. Euthym.

29. Coloss. 3.

1. Cor. 13.

1. Joan. 4.

Tota perfectio fit in dilectione inimicorum.

Remig.

30.

Exod. 33. Septuag.

Ambros. August. Gregor. D. Thom.

Tertio D. Chrysostomus homil. 18. Perfice, obsecro, quemadmodum ultimam posuit coronidem bonorum. Propterea quidem docet, non modo casum palmis ferre patienter, aliam etiam maxillam parere; sed his majus est, ista facientem non hostem existimare, sed potius etiam aliquid majus, quod hoc majus est, non dixit, Non oderitis, sed, diligite. Vidistis, quantis ad perfectionem gradibus ascendit, & quemadmodum nos ad ipsius virtutis cacumen adixerit. Similiter docet Theophylactus, Euthymius. Postquam de aliis virtutibus tractavit, de dilectione inimicorum hic agit; tanquam de coronide, ac vertice virtutum omnium: in hac enim dilectione stat tora consummata Christiana vita perfectio.

Tota excellentia vitae Christianae consistit in charitate. Unde docet Paulus ad Coloss. 3. n. 14. Super omnia charitatem habete; quae est vinculum pacis. Et 1. Corinth. 13. n. 3. & 4. Sine charitate nihil sum: nihil mihi prodest. Consummata autem charitas stat in dilectione inimicorum. Ait Joannes 1. 4. num. 12. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. Charitas, quae nos invicem amore prosequimur, non potest ultra se extendere, nec excellentiorem conscendere gradum, quam dum ad inimicos se extendit: ergo nec majori perfectione insigniri valet. D. Remigius in hoc cap. 5. Matth. in Cateena, Perfectio dilectionis ultra dilectionem inimicorum non potest procedere.

Ad montem Sinai ascendit Moyses. Et ibi per quadraginta dies valde familiariter fruitur colloquio Dei, ubi magna, atque ei panduntur, & revelantur mysteria. Descendit de monte, vidit populum idololatram. Tandem pro ipso deprecans iterum ad montem ascendit; & semel ac iterum à Deo petit obnixè: Ostende mihi faciem tuam, Exod. 33. num. 13. seu, ut habent Septuaginta, Ostende mihi te ipsum manifeste. Et iterum Ostende mihi gloriam tuam. Ubi visionem Dei, ac divinae essentiae postalasse, docent Divus Ambrosius in Psalm. 118. D. August. epistol. 112. & lib. 3. de Trinitate, cap. 16. D. Gregorius 18. moral. cap. 36. D. Thomas, in 2. Corinth. 12. Et ita ait

Lyranus: Ostende mihi gloriam tuam; id est, te ipsum, ut videaris in gloria tua. Meritò dabitur: Cur Moyses, dum est primum in monte Sinai per quadraginta dies in colloquio, ac familiaritate Dei, non prorumpit in eam petitionem Ostende mihi faciem tuam, sed in hac secunda vice, tunc obnixè hoc petit? Cur non primum; quando ei tanta manifestantur, ac Deus ei tam amicum se exhibet. Moyses quandiu erat in conversatione Dei per quadraginta dies, adhuc ejus charitas non erat explicata, & divulgata in inimicos, ut postea factum, dum, ut notant D. Chrysostomus homil. de Cruce, & lavone, & D. Hieronymus serm. de Ascensione Domini; pro populo in peccatis, contumaci, ac rebelli, qui multoties contra ipsum, & Aaron se erexerat, deprecatus est, ut ipsum defenderet, ac patrocinaretur, dicens: Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, Exod. 32. num. 31. Moyses oprime intelligebat, ad Dei visionem, summam, & consummatam perfectionem requiri; & quando ejus charitas tam patenter in inimicos non prodierat, nec eos amplexata erat, ab hujusmodi petitione abstinere; veluti in se non videns consummatam perfectionem ad tantam cognitionem requisitam. At postquam pro inimicis stetit, ut diceret: Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo; tanquam omnium coronidem allecutus virtutem, confidenter petitionem audet concipere, ac vehementer expostulare: Ostende mihi faciem tuam. Hac advoco illud, quod sapienter dixit Chrysostomus homil. 2. de Davide, & Saule, dum ponderat, quod David egressus est à spelunca illa hoste suo; imò prohibuit suos milites, ne aliquod ei intulerint nocumentum. Ait S. Doctor: Egressus est autem post Saulem, & David, liberis deinceps oculis caelum intuens. Qui dilectionem in inimicos ostendit, jam liberos habet oculos ad caelum, ac caelestia intaendum.

Lyran.

Chrysost. Hieron.

Exod. 32.

Qui inimicos diligit tam ad Dei visionem videtur habere.

Chrysost.

31. 1. Reg. 13. Act. 13.

De Davide ait ipsemet Dominus 1. Reg. 13. num. 47. & Act. 13. num. 22. Inveni David similem Jesse; virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Sunt viri docti, ut Pater Valaquez in epistol. ad Philipp. cap. 2. vers. 15. annot. 4. num. 5. qui hoc interpretantur de ipso Davide, quod dicatur secundum cor Dei, & perfimilis filio Dei in lenitate, ac hostium dilectione. Sed quomodo dicitur, faciet omnes voluntates meas; cum hoc valde sit superexcedens? In dilectione inimicorum ostenduntur omnes virtutes, charitas, mansuetudo, patientia injuriarum, conformitas cum Deo, & ceterae virtutes; nam, ut ait Paulus Rom. 13. num. 10. Pleni udo legis recapitulatur. Bene ergo qui hujusmodi dilectionem praebet; voluntates Dei adimplet. D. Pasch. lib. 3. Paschal. in Matt. postquam commemorat egregia virtutis opera, ait: Liqueat igitur satis, quod illa in hac sola dilectione, per quam & inimicos diligere jubemur, complectuntur, & in ea cuncta recapitulatur.

In dilectione inimicorum omnes virtutes ut ait Paulus Rom. 13. num. 10. Pleni udo legis recapitulatur. Rom. 13. Paschal.

QUESTIO V.

Quare Christus Dominus tam vehementer commendat inimicorum dilectionem?

VALDE stricte Christus Dominus nobis commendat inimicorum dilectionem. Hoc est,

32.



est, ut dixi in expositione, tanquam meum, & peculiare mandatum dico vobis; ita enim ipse dicebat: Hoc est praeceptum meum, Joan. 15. num. 11. ut illud maxime in discipulorum cordibus insinuaret. Cur ergo hoc tam vehementer commendat inquitimus? Sub quo etiam varia dubia resolvemus.

Joan. 15.

33. August.

Respondet primò D. Augustinus serm. 5. in feriam sextam Cinerum; ut refertur in Bibliotheca homiliarum, Quare ergo, ait, antiquis non distum, Diliges proximum tuum, & diliges inimicum tuum? Quia fortassis & ipsi dictum est: sed nobis apertius pro temporum distributione, per ejus praesentiam, qui videbat quid quibus vel legendum erat, vel aperiendum. Quamvis fortasse praecipuum de dilectione inimicorum judicatum esset in lege; tamen manifestè, ac apertissime illud aperire, & explicare reservatum est Christo Domino. Per ejus praesentiam; quia ubi erat tanta charitatis praesentia, etiam charitas in inimicos diffundebatur. Deinde, quia ipse videbat, quid quibus vel legendum erat, vel aperiendum. Populo enim carnali, rudi, & infirmo, ut etiam docet D. Gregorius Magnus lib. 28. moral. cap. 8. tam magnum, & altum mandatum non fuit apertissime proponendum; sed hoc reservabatur populo Christiano, utpote perfecto; magna, & abundantia gratia in Christo corroborato; nec enim omnia omnibus aequaliter, ac tam aperte sunt dicenda; sed unusquisque viribus accommodandum: Ipse enim videbat, quid quibus vel legendum erat, vel aperiendum. Vide supra cap. 2. num. 45. & cap. 3. num. 74. cap. 5. num. 215. cap. 7. num. 14. & 22.

Gregor.

Uniuscujusque viribus accommodandum.

34.

Rupert.

Discipulum cum exemplo efficaciter movet.

Rom. 5.

Albert. Mag. Joan. 1.

1. Cor. 4.

Duce Christo maxime crescit in dilectione inimicorum.

Ambros.

35.

Psalm 44. Inimicos diligamus; paratus est Deus ad nostram custodiam, & vindictam.

studiendos; ac ad nostras injurias ulciscendas. Tanquam si dicat: Vos nihil aliud intendatis, nisi ad vestrorum inimicorum dilectionem: vestras autem injurias punire, de vestra custodia, ac defensione agere, mea est cura; ad hoc gladium praemanibus habeo. D. Paschasius in expositione praedicti Psalmi. Post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labiis, impetratur à Patre, ut accingatur gladio sua fortitudinis ad conservanda verum omnium jura; ut in pace sint omnia, quae possidet. Ne ullus de vindicta cogitet servorum, dum viderit praesentem Dominum mucrone ultionis accinctum.

Paschas.

Quartò, Dominus in hoc cap. 5. Matth. à num. 27. multa refert, quae erant dicta antiquis & alia majora addit; dixit enim: Audistis, quia dictum est antiquis: Non machaberis; Ego dico vobis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam machatus est. Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; Ego dico, Non jurare omnino. Audistis, quia dictum est antiquis: Oculum pro oculo; dentem pro dente. Ego dico, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam, praebat illi & alteram. Et tandem: Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, Christus Dominus venit, ut crearet novam Ecclesiam, ac suum regnum stabiliret. Ad quid ergo tradit, ac proponit doctrinam, quae multis vita fuit nimis severa, & aspera; saepe enim austeritate regna desolabatur. Et dum Roboam vult addere super jugum, quod pater suus impulerat, magnam regni sui partem amisit, 3. Reg. 12. à num. 14. Sic ergo meus Jesus novam republicam fundare, ac insituere vult, & homines in novo regno ad se coadunare, attrahere; in in his, quae audita, & dicta erant antiquis. Sapienter Rupertus lib. 1. de Trinitate, in Evang. cap. 19. inquit: Itaque quod nunc ait Rex iste, Rex novus. Ego dico vobis, in omnibus angustiam ostendit esse viam regni sui magis, quam habentis fuerit; perinde est, ac si dicat: Pater meus posuit super vos jugum grave: ego autem addam super jugum vestrum. Quid igitur hoc sibi vult, nisi quia Rex iste Deus est, & quod regno terreno solet obesse, hoc caelesti prodest regno ejus. Qui dat hujusmodi mandata, Deus est, qui dat praecipia, & per gratiam suam vires, si enim terrena regna severitate, ac austeritate collabuntur, & dependunt; caelestia verò austeritate ipsa stabiluntur, & firmantur: his enim maxime confirmatur homo in gloria, & de illius participatione fit securus; nam qui mediocribus contentus est, facile decedit.

36. Math. 5. 6

Rupert.

Ad regna caelestia, ut securus fiat, austeriora quaere.

37.

Quintò, Reservabatur haec doctrina divulganda Christo Domino, tanquam apertum, ac clarissimum signum suae divinitatis; qui tam ingenti charitate adversarios amplectebatur, ut pro ipsis vitam daret; & de eorum dilectione suis praecipuum imponeret; manifestè ostendebatur divina natura condecoratus: tantum enim mandatum non nisi ab ipso divino ore poterat divulgari, nec in alio pectore tanta charitas relucere valebat, nisi in divina natura, cujus optimus index est dilectio in hostes. Et ideo dum ad hanc exhortatur Christus, nullum alium adducit in exemplum, nisi caelestem patrem, cujus proprium est, inimicos diligere; ut sicut filij Patris vestri, &c.

Dilectio inimicorum index divinitatis.

Mens

QUESTIO VI.

Inimici diligendi triplici ratione comprobatur ex Hugone Cardinali.

38.

Matth. 27. Luc. 23.

Bostrenf.

Arnold. Dilectione inimicorum manifestatur divinitas.

Tertull.

39. Psalm. 108.

August.

Vox deprecans pro inimico referuntur Christo

40. Galat. 1.

Benevolentia in inimicum manifestatur divinitatem.

Rupert.

Meus Jesus affixus in Cruce, de se agens, ait ad Patrem: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me: Matth. 27. num. 46. At verò pro crucifixoribus deprecans inquit: Pater, dimitte illis, Luc. 23. num. 34. Sed cur Christus Dominus illic ad Genitorem loquens, Deum suum appellat; hic verò Patrem nominat? Deum suum vocat, ratione naturae humanae se illi inferiorem agnoscens; Patrem verò clamat, ut se aequalem in natura divina cum ipso dicat. Titus Bostrensis: Patrem vocat, ac proinde cum eo loquitur ut patrem cum patre. Idem docet Arnoldus tractatu de verbis Domini, in Cruce maxime se occultaverat in Christo divinitas: Ibi abscondita est fortitudo ejus. Unde cum pro se exorat, albus divinitatem suam occultat, & Genitorem Deum suum appellat, se inferiorem illi in natura humana dicens. At cum pro inimicis deprecatur, jam necesse est, ut ibi radiet, ac resplendescat natura divina; & tunc Genitorem Patrem suum dicit, se illi aequalem in substantia divina manifestans. De hac enim eorum dilectione, ac patientia ejus, ait Tertullianus lib. de patientia, cap. 3. Patientiam Dei esse naturam affectum, & praesentem ingenitae consuetudinis proprietatis. In persona Christi ait Regius Vates Psalm. 108. num. 4. Pro eo, qui me diligere, acerbabant mihi; ego autem orabam. Ubi merito notat D. Augustinus, Non quidem dixit, quid orabat. Sed quid melius intelligere debemus, quam pro eis in se, de Cruce illi dixit: Pater, ignosce illis. Sed illud mihi facit dubium: Cur Psalmographus verbum exorans pro inimicis non exprimit? Ipse valde plene narrat alia Christi mysteria, & quae ad passionem ejus pertinent, ad Crucem, flagella, acetum. Cur ergo hanc orationem non producit? Tam sublime, & perexcellentem verbum pro inimicis deprecans: Pater, ignosce illis à nullo alio ore erat immediate evulgandum, nisi ab ipsomet ore Divino; & vox tantae benignitatis ipsi misericordiarum fonti eructanda reservabatur.

Ait Apostolus ad Galat. numero 1. Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem Christum Jesus existens in gloria sui Patris ad Apostolum vocavit Paulum. Sed quomodo ipse Doctor Gentium ait, se non fuisse vocatum per hominem? At quia Christus solus Deus? Absit, veros etiam homo est, ut fatetur Catholica fides; Quomodo ergo ipse ait, se non fuisse vocatum per hominem? Tanta beneficentia, ac dilectionis nota in hominem persecutorem, ac inimicum, praedicabat gloriam infinitae bonitatis, ut solus divinitatis videretur opus, omnes humanae naturae limites absorbens, Rupertus lib. 3. de vitibus, cap. 2. sic inquit: Quid enim, si non per hominem, sed per Jesum Christum: nonne consequitur, quod Jesum Christum, quo tempore vocavit Paulum, vel fecit Apostolum, dicat, cecidisti jam non hominem, sed Deum? Non tamen ajunt Patres orthodoxi, hac dicendo, hominis demum naturam, sed confiteri superabundantem humana naturam divinam gloriam. Vide supra quæst. 14.

DILIGERE, nihil aliud est quam velle alicui bonum. Hoc autem bonum, quod principaliter nobis mandavit inimico velle, est bonum spirituale, ad salutem animae conducens; & etiam bonum temporale, prout fuerit adjumentum, ac instrumentum ad bonum spirituale consequendum. Cur autem inimicos jubemur diligere, inquitimus.

Hugo Cardinalis triplicem ponit rationem. Primò est diligendus inimicus propter Deum; secundò propter se; tertio propter nos. Ob has rationes debemus inimicum diligere, quae latius hic explicandae sunt. Alias etiam quæst. sequenti assignabo, quæ etiam ad hæc tria motiva possunt reduci.

Primò diligendus est inimicus propter Deum: sunt enim inimici, ipsius creaturae, ad imaginem ipsius conditi, & ad illuminem Deum ordinati; & Deus mandavit nobis eos diligere. Et quamvis aliqui diligant suos proximos ratione alicujus motivi naturalis, verbi gratia ratione sanguinis, patriæ, vel alicujus virtutis, verbi gratia, sapientiae, seu fortitudinis, & hæc sit laudabilis dilectio: tamen perfecta, absoluta dilectio est illa, quæ diligit proximos ob Deum; & ad ipsummet Deum, tanquam omnium auctorem, & finem, suum amorem ordinat, ut explicat D. August. lib. 4. confessio. cap. 9. D. Gregorius homil. 27. in Evangelia. Unde rectè S. Maximus Confessor. serm. de pietate, ut habetur in Bibliotheca tom. 5. Objicienti, dilectionem inimicorum esse impossibilem, respondet S. Pater, esse facilem, apud eos, qui ad imaginem Dei conditi sunt, & ratione ducuntur, ac Dei novitia agnoscunt, & legem ab ipso acceperunt? Dominus enim ait: Diligite inimicos vestros, & quæ sequuntur, non tantquam impossibilia præcipi, sed planè ut possibilia. Qui enim ratione ducitur, & agnoscit, creaturam ad imaginem Dei esse conditam, & ab ipsomet Deo productam, facile in ejus amorem rapitur.

Secundò diligendus est inimicus propter se ipsum. Hugo: si se magis diliget, scilicet nostro amore, ut illo convictus odium deponat. Et quia multoties nostra ope, ac auxilio eget, quod indigenti non est negandum. Contempto Saule, pro Rege habendo instant Israëlites; petunt tamen ab ipso Samuele, ut non cesset pro eis orare ad Dominum. Quamvis ait Samuel: Absit autem à me hoc peccatum, ut cesset orare pro vobis, & de cetero vo viam bonam, & rectam, 1. Reg. cap. 10. n. 23. non est hæc. Quamvis enim illi inimico animo essent in Saule, ac filio ejus, tamen ipse restatur, tale nefas non esse commissurum, ut eis suam opem, ac auxilium, oratione, & doctrina denegaret; sed à sua magna charitate, ac veluti ab eorum indigentia movebatur Propheta, ut pro eis, ad Dominum deprecatur. D. Gregor. Magnus ibi. Quid Gregor. est ergo, quod dicit: Absit à me hoc peccatum: nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublatus, non solum diligebat amicos, sed infans etiam amplectebatur inimicos? legis quidem veteris mandato instructus; sed nova gratia suorumque illustratus.

41. Difficultas quæstionis.

42. Hugo.

43. Inimicus diligendus propter Deum.

August. Gregor. Maxim.

44. Hugo. Inimicus diligendus propter se.

1. Reg. 1. Nostra spes non est hæc.